




PALAESTRA LATINA



S U M M A R I U M

- DE RECTA LINGuae LATInAE PRONUNTIATIONE.
De littera C. (Jové).
- NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS. (Viator).
- ROMA TRIUMPHANS (Martija).
- EPISTULARUM COMMERCium, (Avenarius, Llobera, Jové).
- DE VARIIS NOMINIBUS AD COGNATIONEM ET AFFINITATEM PERTINENTIBUS, (Jové).
- CURSUS GYMNAS TICUS.-Agricolarum felicitas (Martija).
- DE RE GRAMMATICA-De substantivis adpositis (Jiménez).
- PER ORBEM, (Jiménez).
- BIBLIOGRAPHIA, (Jové, Codina, Pastor).
- DE LATRONIBUS FABULA — COROCOTTA, REX LATRONUM, in operculis.
- EXERCITATIONES SCHOLARES, in operculis.
- COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

—————
Ordinarii atque Superiorum permisu

DE LATORNIBUS FABULA

COROCOTTA, REX LATRONUM

I COROCOTAE FACINORA

PROLOGUS

ADULESCENTIBUS PALAESTRIS



Vobis, adolescentes optimi, qui narratione culas de latronibus a deo semper amatis, hanc proponere suscipiembam, quam olim audieram a vetere quodam professore in litteris Latinis multum versato. Ut est haud facile negotium verba ipsa reddere, quibus ille totam explicabat fabulam, ego res tantummodo repetam quemadmodum mihi ita mentem venerint. Hoc tamen habete, me nullam vel levissimam narratiunculae additum esse circumstantiam neque ademptum, ut, quam ipse ex illa cepi voluptratem, eadem vestris animis ingeratur. Placuit autem capitula singula toridem collusare imaginunculis ut iis per oculos pasti rem totam suavius percipiatis.



Eo tempore inter se dimicabant Antonius et Octavius, qui quidem postea Augustus est appellatus. Tota Italia magna erat rerum perturbatio, quod viae a latronibus infestarentur. Unus ex illis magnam adeptus erat famam, Corocotta nomine, quem vulgo regem latronum Paeninsulae populi vocabant. Etenim singulari erat audacia atque ferè cotidie mirandum aliquod de eo narrabatur. Saepè vehicula expilaverat quae Romanum civitatum vestigalia advehabant; saepè viatores divites erat depilatus; saepè in frequentissimis urbis cellas mercium diripuerat. Magistratus, quibus publicae securitatis erat cura vel eum comprehendere vel saltem eius praedationibus obstare frustra contenderant; eorum enim vigiliam semper eludebat. Duo tamen in eo significabantur: nunquam viatorum sanguinem fuderat aut ministrorum publicorum, quod erat magnum humanitatis argumentum; nunquam ante diem, quo incipit haec fabella, aut ille aut socii ejus Romam penetrare ausi fuerant.

PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesseturum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España



De recta linguae Latinae pronuntiatione

DE LITTERA C (sequitur)

b) *Scriptores Recentiores.*— Grammaticorum veterum testimonia oportet ut recentium philologorum sententiis confirmemus. Nos trates in primis adducemus auctores, postea exteris. Sanctius Brocensis in libello de pronuntiatione alias jam laudato sic rem explicat: «Sonamus Cicero cum sit sonandum Kikero; in quo tam errant Itali quam nos. Male agunt qui mutant in uno verbo aut nomine pronuntiationem, ut *locus loci locum loco*, *lego legis legunt*. *Coelum* pro *cielo* dicendum est... et qui id bene pronuntiat duo excusat menda, alterum pronuntiandi c per ç, quod est barbarismus, alterum ab diphthongo vim suam auferendi cum e fit ex oe.⁽¹⁾ Quod Romanis antiquis t semper fuisse Graecorum tau, c semper kappa neutrum zeta, multis et firmis argumentis illustratum est; multis antiquitatis cupidores *Kikeronem* dicunt et *koelum* et *laetitiam*.»⁽²⁾

Quid dicit Nebrissensis? Eum protinus audiamus: *C* et *g* ante *e* et *i* pronuntiantur ut in castellana lingua *Cecilia gente gigante*. Talis est usus, at doctores docent eas pronuntiandas esse ut ante ceteras vocales».⁽³⁾ Noster etiam Simeon Abril adjungit: «Litteras c g et t, (ante duas vocales) pronuntiamus barbaro sono et peregrino, quia vulgaris omnis lingua suam conata est inducere pronuntiationem in linguam Latinam, unde in pronuntiatione tot exorti sunt barbarismi. Naturali vitio litteras c g cum vocalibus e i barbaro sono pronuntia-

(1) *Caelum* non *coelum*, et *cenam* non *coenam*, ex novis philologorum investigationibus constat omnino.

—(2) **Brocensis**, *Opera Omnia* T. I, Reglas para perfectamente leer y pronunciar Latín.—(3) *Grammaticae Inst.* I. II, Reglas de pronunciación.

mus, c quidem quo hispane pronuntiamus *zarza*; item *coelum coena cera civis*.⁽⁴⁾

Sed jam exterios auctores producamus. Erasmus Rotterodamus: «Plus est erroris ait in c cui respondet apud Graecos x. Aliud enim sonat Latinis (his qui nunc latine loquuntur) cum praecedit e i y ae oe quam cum antecedit a o u, ut in *Ceres cinis cygnus coelum coecus*, aliud in *canis colo curo*. Nam in illis vulgus nostratum paene nihil discernit inter c et s, ut vix aures dijudicent *coenae* a *coena*, *an sene* a *senex*; et utrum *silicem* pro lapide, an *Cilicem* pro gente; *citum* a *cio*, an *situm* pro *positum*. In *Sicilia* primae syllabae sonum aegre dignosces a sono proximae... Latini k propemodum pro superflua dixerunt... atqui supervacanea non est, si nostrum c crebro proxime accedit ad vocem s».⁽⁵⁾

Justus autem Lipsius late eamdem rem prosequitur: «Duplicem ei (c) sonum dedimus: alterum ut debuimus, alterum ut voluimus. Et cum vocalibus quidem a o u aut diphthongo au, suum ei reliquimus et priscum sonum; efferimus enim *caput corpus cubitum caudam*; cum e i y ae oe novum ei damus et ante aevum inauditum sonum; enuntiamus enim cum crasso et molesto quodam (nec ambigue quin isti sibili a barbaris sint) sibilo *ceram cippum Cyrum coenam coenum*, effatu quem littera nulla habuit; ad z aut s accedere videtur, non attingit. Omitto grammaticos omnes qui c cum k aequiparant clare; ratio ipsa quam repugnat! Capio recte effers, cepi ab eo cur aliter? *Eccum et eccam* audio, ecce producit in alia soni veste. A *casto incustum* formari qui vox tua me doceat? et multa alia quae labem et ambiguatum agmen invexere in Latinam linguam; *silicem* aut *Cilicem* ex enuntiato nostro aures non discernant, non *Cyrum* aut *Syrum*; *sepio* aut *coepio*; *cellam* aut *sellam*; *servum* aut *cervum*; *discere* aut *disserere* et quae millena. Pudet non tam erroris quam pertinaciae, quia *corripi patiuntur, at non corrigi, et tenent omnes quod defendat nemo*. *Itali, Hispani, Germani, Galli, Britanni in hoc peccato; a qua gente initium emendaridi? Audeat enim mihi una aliqua et omnes audient».⁽⁶⁾*

Guardia et Wierzeyski postquam variis rationibus probare contendunt falsam esse praesentem c litterae pronunciationem, hoc modo concludunt: «Usque ad sequiora saecula c fuit idem ac k juxta doctrinam grammaticorum IV et V saeculi. Neque contigit usque ad saeculum VII ut pronunciatione, quae postea praevaluit, inducta esset per linguam rusticam et provinciales dialectos».⁽⁷⁾

Riemann et Goelzer similiter loquuntur: «C pronunciationata est k; dicebatur enim *fakio, fakis, Kikero, kinis*. Pronunciatione ergo nostra in

(4) *Abril De Arte gramm.* liber de consonantibus. –(5) *Dialogus de pronunciatione*. –(6) *De recta pronunciatione Latinae linguae*, e. XIII. –(7) *Grammaire de la langue latine I. I., c. 4*

hac parte est sicut in aliis multis omnino vitiosa, namque dici potest nos pejus linguam Latinam pronuntiare quam Graecam.»⁽⁸⁾ «In lingua Latina classica — addit Clédat — c et g habebant semper vim formem ke, et in hiatu illa confortata et duplicata est adeo, ut vocabulum illud *faciam* (fakiam) pronuntiatum sit *facciam* (fakkiam).»⁽⁹⁾ Funcius: «C ex dimidio Graecum est, subtracta namque columna ipsius k, cuspis vel semicirculus remansit nudus, ideo Suidas c litteram vocat Καττα Πωμαιχον»⁽¹⁰⁾ Caro et Cuervo pariter ita suam exprimunt sententiam: «C g: Romani has litteras pronuntiabant ante e i eodem modo quo ante ceteras vocales, ita ut ubi scribebatur ce ci, ge gi legebatur (hispane) que qui, gue gui.»⁽¹¹⁾ Non alia cognoscebat — ait Marouzeau — pronuntiatio quam k pro c ante e i. Plutarcus scripsit graece *Kikeron patrikios prinkipia*; Strabo *Pikentes Sidikinon*; Polybius *kentouriones*. Inscriptiones Graecae nobis praebent *kreskens donatriki kivitati krukes...* Ipsae Latinae scriptiones tales habent scripturas: *pake markellino dekembres cresquet*. Vice autem versa Velius Longus nos docet inveniri cocit pro *croquit*, *pulcher* scribitur interdum *pulcer*. Marius Victorinus testatur in *saccis* esse consonam geminatam (ergo duo k); Velius Longus in *accipio*.⁽¹²⁾ Continuo autem idem clarissimus vir ex comparatione unius vocabuli Latini *cella* cum duobus vocibus Germanis *Keller* et *Zelle* acutissime notat veram c litterae in aurea aetate pronunciationem, ejusque corruptionem in lutea. Age vero, eo tempore quo Romani Germanos edocuerunt vini confectionem, pronuntiabant c litteram gutturali modo, cum eum *cellarium* appellabant qui in re vinaria versabatur, unde *Keller*. Contra ea cum jam exactis quinque sexve saeculis religiosi viri eis Evangelium praedicabant, *cellae*, ubi monachi orationi vacabant, *Zelle* nomen indiderunt.

Clarus vir Scioppius: «C ante a o et u recte hodie ab omnibus pronuntiatur. Sed ante e i y aliae nationes aliter efferunt; male tamen omnes: Hispani, Galli et Cisalpinae Galliae Itali Cicero sic pronuntiant ac si esset Dsidero, Germani Tsitsero. Maxime ridiculi sunt Hetrusci, imprimisque Florentini qui in Cicero aliter primam, aliter medium syllabam efferunt, utrobique scilicet strepitum, sive s densum aut pingue, sed ei in priore syllaba t praemitunt... Itaque si nihil aliud inter hodiernam et veterem Romanorum pronunciationem esset discriminis, vel hujus solius litterae pronunciatione omne inter nos linguae commercium impedire posset. Illi enim Kikero efferebant ut Italus scriberet Chichero, ut Gallus et Hispanus Quiquero.»⁽¹³⁾

(8) Grammaire Comparée du Grec et du Latin.—Phonetique n. 126. — (9) Manuel de Phonétique et Morphologie, n. 69. — (10) De pueritia linguae Latinae I, 18. — (11) Gramática de la lengua Lat. p. 2. — (12) La Prononciation du Latin, 17. — (13) Institutiones Grammaticae Latinae—De consonantibus simplibus.

Nunc lexicographorum portentum auscultemus, Forcellinium dixi: «C tertia Latinorum littera quae Graecae & respondebat idque vetera Magnae Graeciae monumenta confirmant in quibus pro & signum c invenitur. Praeterea littera c sono suo etiam & complectebatur, pro eaque usurpabatur.⁽¹⁴⁾ Neque aliter loquitur Freund quod simul probare contendit his verbis: «Aetate aurea linguae Latinae pronuntiatio hodie usitata, ex qua tres syllabae Cyzici habent eundem sonum, ignota erat omnino, quapropter jam Vergilius (Georg. I 378) pingit illud Βρεχεχεξ ranarum per cecinere querelam, et ut exempla adducam ex lingua Germana non minus id suadentia, ea fuit ratio cur diu adhuc post imperii Romani exitium Germani fecerunt ex Caesare Kaiser, ex carcere Kerker, ex cellario Keller, ex keroso Kirsche, ex cista Kiste, et cetera similia». ⁽¹⁵⁾ Quid adferam tandem recensissimos auctores reliquos alicujus notae quorum negat nullus, aliqui non tractant, confirmant plerique omnes?

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Narragonia et Crocodilopolis

ACTUS SECUNDUS (*sequitur*)

II 8, BUFO; CHALCOGRAPHUS *baculo armatus* *venit ex porta urbis;*
BARO, GROBIANUS *cum consilio;* EQUITES *post scaenam*

CHALCOGRAPHUS. —Tune ades, Bufo? Dic-dum quid iterum efficere velis his scopis vel «ramo» illo «olivae» in-structus!

BUFO. —Nunc quidem scopis significatur non ramus olivae sed gladius. Nam aliquem Crocodilopolitanum ad certamen singulare provocare jussus sum invitus. Semper in Bufonis animo virtutem fuisse non ignoras; sed cur interimam hominem, qui nihil mihi laeserit? Bestiarum hoc esse censeo. Proinde te aliquandiu mecum certare simula et postremo capesse fugam! Qua ratione mihi praestares insigne commodum, neque tibi ipse quidquam noceres. Cives tui nesciunt, cur hic veneris, mei prope-

exspectant, qualis sit luctaminis ex-
xitus.

CHALCOGRAPHUS. —Hoc officium caritatis tibi praestabo perlbens. Res, dummodo baculum meum esse gla-
dium consideres, procedet prosper-
rime.

BUFO. —Laudo; age, incipiamus! (*post scaenam canitur tubis.* BUFO et CHALCOGRAPHUS inter se *gladiis* certant per simulationem; princi-pes et equites post scaenam positi vocibus adhortationis animum ad-dunt Bufoni.)

BARO. —Praesta, Bufo, te fortissimum ac maxime strenuum! Hoc certam-i-ne agitur totius exercitus nostri gloria. «Nihil mortalibus arduum

(14) *Lexicon totius Latinitatis* lit. C. — (15) *Dictionnaire de la langue Latine* litt. c ad finem.

est» (1) Vae, dii! (*Bufo superari videtur*) Actum est de nobis. «Periculum in mora (2) Diem Alliensem! «una salus victis, nullam sperare salutem» (3) Nonne ei assistamus et succurramus?

GROBIANUS.— Nequaquam; offenderetur disciplina militaris.

BARO.—Non jam opus est (*Bufo rursus praevaleret*), cum eum recreari animadvertam. —Age fortiter, Bufo! —Vere Victoria est tua! Jam fugit hostis; facti sumus salvi. «Haec fuit Victoria, quam praedicabunt temporibus ultimis» (4) Bufo venit, vidi, vicit. «Fortibus est fortuna viris data» (*Ennius*) Ceterum censeo Crocodilopolim esse delendam (*omnes*

clamore maximo exsultant. *Caligraphus fugit. Bufo subsequitur eum usque ad portam. Equites procedunt. Bufonem ducunt triumphantes in scaenam medium, ubi tubis sonantibus in ejus caput coronam lauream imponunt et saluant eum victorem.*

OMNES EQUITES.—Macte, Bufo, virtute! Macte, Bufo, fortitudine paeclarissima!

«Baronis audax belligator et Legate Bufo, scopifer Hercules, Victoriam congratulamur, Strenue victor, io triumpha!» (*haec stropha repetitur, aulaeum premitur*).

ACTUS TERTIUS (*apparatus scaenicus ut in actu secundo*)

III 1. PRINCIPES, BUFO.

BARO.—Victoria nuperrime parta et Aberrhamano fortissimo filio Califae occiso, statim oppugnare poterimus Crocodilopolim cuius moenia latericia tripliciter turrita copiis nostris diu non resistent. Sed antequam urbem expugnamus, aliquem consulamus vatem, ut ritibus ac caerimoniali antiquis artis arcanae ab inferis unam vel alteram eliciat umbram, quae, qualis sit oppugnationis exitus, nobis manifestet. Proinde fac, Bufo, ut arcessatur Mopsus vates Thrax divinatione rerum clarissimus et deorum fere similis!

BUFO.—Quamquam nescio, princeps serenissime, an haec legatio mihi non

sit idonea, illuc ibo cupiens bellum exitus cognoscendi (*abit*).

BARO.—Caecitate quidem miseranda laborat Mopsus vates sagacissimus, sed conspicit res nobis absconditas et occultas. Caecus autem factus est eo quod cum arbiter aliquando creatus esset inter Bacchum deum vini et Martem deum bello versatum, victoriam majoris fortitudinis adjudicavit Baccho; sed alter deus vindicta punivit eum caecitate. Jupiter tandem, —πατήρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε—coram quo multis cum lacrimis questus erat, tanta commotus est misericordia, ut eum ditaret et honoraret arte divinandi. (*prospicit*) En ipse advenit.

III 2. MOPSUS a Bufone ductus prodit; alii omnes ut in scaena prima.

BARO.—Te, Mopse, cum res futuras nosse dei tibi donaverint. Narragoniae bellatores invicti huc arcessivimus ex te audituri, quamdiu Crocodilopolim, priusquam expugnaverimus, obsideamus. Quales res te plane cog-

nitas habere inter nos omnes constat. Nestoris admodum senis et Abrahams patriarchae aetatem ac Salomonis sapientiam et rerum scientiam antecedis tanto, quanto palma violam vel elephas culicem vel do-

(1) Hor. Od. I. 3. 37.—(2) Livius, 38, 25, 13.—(3) Vergili s, Aen. II, 354.—(4) Schillerus, Gul, Tell. III, 3.

mus Neoeboraci centum et decem contignationum agricolae pauperissimi casulam ruinosam. Qua de causa nobis manifesta qualis hujus belli futurus sit exitus.

MOPSUS.—Universi principes et milites Narragoniae, qui, rebus in terra, in mari, in aere fortissime gestis, orbem terrarum gloria virtutis complestis, cum sitis mentibus capti ac deliri, revertimini, quaeso, quam primum in patriam et mihi praebete requiem et otium. (*abiturus est*)

BARO.—Siste gradum, homo morose! Te non dimittemus, nisi quae desideramus clara voce patefeceris.

MOPSUS.—Senecta languesco ac defetiscor; meum tempus evanuit; divinatio mea jam dudum a me discessit.

BARO.—Constringe, Bufo mi, hunc nem contumacissimum catenis aureis et conjice in carcerem!

BUFO—(*voce obscura*) Unde inveniam catenas aureas? Sed haec restis (*restim veterem de terra tollit*) aequi haberi potest «catena aurea» ac scopae «ramus olivae».

MOPSUS.—Parcite, equites nobilissimi, parcite, quaeso, vitae meae! Non malignitate aut contumacia excitatus de belli eventu vos certiores facere nolo, sed vaticinationi meae inest nuntius quidam tristis, quo toti exercitui injicietur terror ac formido.

BARO—Loquere, quae sumus, liberrime, neve quidquam nos celaveris!

MOPSUS.—Omnia eloqui ac prodre iussus non diutius morabor. Crocodilopolis expugnari non poterit neque in Narragoniam redibitis, victores, nisi Bufo (*Bufo resti e manibus missa auscultat*) instar hostiae mactatae pro toto exercitu profuderit vitam. (*abit*)

BARO.—Io! Nihil amplius? Mactari sinit Bufo meus perlubenter.

BUFO.—(*sibi loquitur*) Videlicet, videam eum, qui hoc faciat libertissimus.

BARO.—Si animum ejus perspiciam recte, se offeret ipse.

BUFO.—(*voce obscura*) Tu descendas in tartarum! Insanirem, si hoc facerem.

BARO.—Laetissimus se tradet.

BUFO.—(*voce obscura*) «Optime rudisti, leo» (1) —Nugas execrandas! Pro toto exercitu ne digitum quidem traderdem, multo minus caput.

BARO.—Oraculo deorum mactari jubaris, ut tua solius morte nos omnes morti eripias.

BUFO.—Insaniae arguo oraculum, quod tale a me postulat.

BARO.—Numquid homini patriae amantissimo cogitari potest jucundius quam mori pro ejus salute? «Dulce et decorum est pro patria mori» (2)

BUFO.—«Jucundissimus nimirum nuntius, quo jubear: Gaude, quod capite plectaris!» «Lacus furit appetens victimam» (3)

BARO.—Ambages te, Bufo, hic nil juvant. Nisi mandatum subieris voluntarius, utar vi et potestate minarum.

BUFO.—Nolite, principes, festinare sanguinem profundere hominis innoxii, id quod minime mandatur oraculo. Mopsus iste Thrax sic senuit, ut totus repuerescat. Ac prius quidem ipse excusavit, quod, cum esset admodum senex, non jam posset vaticinari; paulo post minis a nobis coactus, quaelibet in linguam ei venerant, effutivit, dummodo libertatem recuperaret. Sed alterum quemdam vatem, vatem maximaee celebritatis et auctoritatis nuper noram, cui est nomen Theophrastus Paracelsus. (4) Qui mira dexteritate atque fortuna ex multis annis operatur, vaticinatur, et multo pluris aestimatur Mopso. Age audiamus quid proferat ille! Sortem ac fortunam nostram sua ipsius sponte nobis pandere poneret in honore. Vates compulsi terrore vel necessitate coacti nunquam patefaciunt utilia. VIATOR, S. V. D.

(1) Shakespeare, *Somnium noctis aestivae*, V, 1 —(2) Hor. Od.. III, 2, 13.—(3) Schillerus, *Gul. Tell*, I, 1.

—(4) Philippus Aureolus Theophrastus (Bombastus) Paracelsus; a. 1493-1544 p. Chr.

ROMA TRIUMPHANS

*Ut flumen undis mole tumentibus
Fracta, potens nunc volvitur in nemus,
Nunc saxa lympharum tumultu
Praecipitat, trepidante cursu,
Videre gentes saecula perfidas
Magno ruentes impete, sedibus
Imis revellentes avita
Regna, gravi labefacta casu.
Proles Quirini nescia subjici,
Assueta leges imperiis dare,
Prostrata languet, Caesarumque
Scaepta jacent pedibus terenda.
Ad Vaticanis insidet arcibus
Crux, tincta sacri flumine sanguinis:
Immota Crux pulsu resistit,
Docta virum superare turmas;
Ut celsa rupes, quae neque fulminis
Horrescit ictus, aut Boreae minas:
Ter imbre vexata et procellis,
Ter tumidas hiemes refregit.
O Roma felix, qua nihil altius
Sol visit almus! Te caput urbium
Crux fecit: o lumen serenum
Perpetuo irradians nitore.
Molitur ingens turba nocentium
Sublime fulcrum diruere impotens:
Inane contendunt, superba
Deficiet cogitata Christus,
Rex saeculorum, qui arcibus in tuis
Supremus orbis considet arbiter
Et tuta Vaticana servat
Eripiens vicibus sinistris...
O Roma felix, qua nihil altius
Sol visit almus! compede libera
Regina mundi, fer perennem
Christiadum populis salutem.*

Henricus MARTIJA, C. M. F.

Epistularum Commercium

Andreas Avenarius Palaestrae Latinae lectoribus S. D.

Vellem vidisse lectorum vultus, cum explicato fascieulo mensis novembris omnia plena deprehenderent Avenario. Ignoscite, amici, non meum hoc consilium fuerat, meum siquidem consilium satis luculenter videor proposuisse in praefati uncila hymnorum meorum, sed Joveanae familiae tantum clangoris tribuite! De ipsis autem hymnis habebam, quod vellem, qui legerent, monitos. Quicumque vestrum scripta latine typis concesserunt, experti sciant, quam operosa sit res omnia castigata et cum suis interpunktionibus ad typographos dare. Neque minus operosum esse constat hypothetis illas minutias reportare. Non mirum igitur, si interdum etiam in illis hymnis erratum est. Et quoniam mea vehementer interest haec carmina recte intellegi, visum est paucis verbis quasi repastinare. Venio ad illum hymnum cuius initium est: «Ad te nemo venit». In eo versu, qui praecedit doxologiam, sic habes: «Firme vestigio nos juvet usque». At peccatum ibi metrice est; nam in vestigio prior vocalis, quae *i* est, producitur. Canentem hoc praeterierat poëtam, sed die S. Nicolai recitantem in hymno laudum pontificum: «Nobis sequi vestigia» diutius latere non potuit. Ne iste versus igitur claudiebat, muta in hanc formam: «Non languente gradu nos juvet usque». In hymno autem matutini illud erat in eo versu qui est: «Quod minus ausus erat Philippus» qui vim et rationem temporum perspiciat mutabit in erit. Ejusdem hymni nanciscemur pleniorem doxologiam, si duos priores versus feceris tales:

«Qui te creavit, gloria sit Patri,
Qui te vocavit, fecit apostolum,»

Etiam illum strophae octavae *terrorem* mutaverim in *maerorem* vel potius dixerim: *Luætus erit...*

Laudum hymni sic inscribendi erant: prior «Ad laudes», alter: «Item ad laudes (ad libitum)», cuius versus postremus sit *Nos cruce salvos*.

In Remundi distichis primus pentameter habet *foedus*; accipere debet ut intellegas *fetus*. In hymno S. Damasi papæ vox cluendi in *fluere* mutata est. Cluet autem vel cluit vox antiqua idem valet atque *celebratur* vel *notum* est. Adde quod *stigma* ibi accipitur pro *nota*. Sic assequeris, quid poëta illic senserit. Ceterum quidam hymni loci semper mihi sublustræ visi sunt, et si vis, quo ego sensu intellegam, referam. Sic fere: Sacratum nomen tuum decus est et simul nomen est, quod vitam sonet tuam. Nam beatæ crucis gloria te hoc nomine decorum praedicat. Qui te nominat, Andrea, hoc ipso jam vocabulo naturam tuam indicat et te spiritualiter decorum vocat, te, quem crux ad alta prohevit, et quae ibi sunt. In te crucis mysterium celebratur et bifariam, quod et cruce vincis probrosum mundum, et praedicas Christi sanguinem in cruce fusum.

Et haec quidem, lectores, habebam quae vobiscum de hymnis communicarem. In interpunktione, ubi defectum videris, facile ipse corriges, memor id genus signa antiquis apposita non esse.

Hic cohiberi non possum, quin vobis aperiam, quid cogitare coeperim nuper, cum oculi incidissent in Palaestrae Januariae verba haec: «Lingua Latina universalis iterum deveniet?» Cur, inquam, tam multa facimus verba de introducenda in vitam usumque lingua? Quin tandem vitam inflamus huic linguae, cui tot annos fuerimus dediti? Cur non utimur obstinate hac lingua? Cur non dudum Palaestram Latinam aut Almam Romam aut utramque ornamus prole ingenii nostri? Cur non saltem, qui parati sint scribere, a nobis epistulis instimulantur, ut respondeant? Nihil magis, mihi credite, disertum facit, quam interrogationes per epistulas missae. Nae illi Palaestram vere campum faciant ingeniorum, qui nominatim se ad has epistolarum vi- cissitudines sistant. Memini in Alma Roma olim—eram tum adolescentulus—vel viginti viros promittere hoc commercium litterarum, sed commercii non memini. Age, vos rem suscipite, calamo vel da typographii tuniculis stupenti mundo ostendite fa- vere vos linguae Latinae.—Valete. *Tirscheureuthi a. d. V. Idus Febr. anni 1935.*

LUPINUS JOVERIO SUO S. D.

LATINAE Moderator o PALAESTRAE,
Quot sunt quotque aliis erunt in annis
Fueruntve, hominum venuſtiorum
Jucundissime, crede mi, Joveri;
Quod meas aliquid putare nugas
Vis, grates tibi maximas Lupinus
Agit, pessimus omnium poēta,
Quanto tu optimus omnium in PALAESTRA.

Sed quasdam volo cogitationes
Amici accipias tui meique:
Hispana heu? quianam PALAESTRA dicit
Auro in carmine, care, Januari
Mensis, quod Domino meo dicavi?
Cur Jesum Puerum nimis decorum
Confert aureolis, nefas quod absit,
Non vero areolis, ut ipse feci?

Caesaraugusta a. d. VI Id. Jan. MCMXXXV.

Cur scripsit clypeis, cum ego ipse recte
Scripserim clypeis? Papyre, noli,
Quaeso, plura referre: haec satis sint.
O factum male! pauperis misselle
Scriptor carminis. O miselle vates!
Ne me his suppliciis remunerere;
Nam quid feci ego, quidve sum locutus
Ipse, ut tot male perderer piandis?
Tu vero mala multa da clienti
Qui tantum tribuit mihi malorum,
O carissime mi, parens PALAESTRA!
Missum si hoc facies, brevi, Joveri,
Exspecta hendecasyllabos trecentos
Quos dat Musa mihi Catulliana,
Refertos odio Vatiniano.
Responsumne dabis?—Dabo.—Valeto.

Joverius Lupino suo s. p. d.

Video poētas aegrius posse tolerare typographica menda quam prossatores. Post tuos hendecasyllabos Catullianos eosque pulcrrimos, ecce epistulam Avenarii accepi quae et ipsa quodammodo emendata postulat carmina Andreana mense Novembri edita. Plura, mihi crede, quam in nostro commentario excidunt errata in foliis periodicis vernacularum linguarum, quae tamen cum facile corrigas, vix animadverteris. Ne verearis autem lectoros prudentes adscripturos tibi, viro in litteris Latinis peritissimo, ea menda quae tantum transcriptoribus et adversariorum correctoribus excidere valent. Ego vero salvo commodo tuo paene dixerim: O felix culpa quae tuum meruit carmen! Vale. IV Kal. Februarii.

**DE VARIIS NOMINIBUS
ad cognationem et affinitatem pertinentibus**

Societas familiis componitur quae communibus obligationibus et officiis conjuguntur jure aut lege constitutis. Familiae sunt unius ejusdemque stirpis rami, sunt coetus organici in magna societate quae civitas aut natio nominatur. Hujusmodi coetus aut nuclei, qui perpetuo renovantur, cognatis ⁽¹⁶⁾ communentur vel affinibus. Familia in tempore con-	Tripatruus aapatruus abpatruus Propatruus Patruus magnus patruus amita ⁽¹⁰⁾ Pater et mater	Majores ⁽¹⁾ atamita abamita proamita avus amita magna parentes ⁽⁴⁾ liberi ⁽⁵⁾ frater nepos et nepitis ex fratre ⁽¹⁵⁾ filius et filia nepos ⁽⁶⁾ neptis pronepos ⁽⁷⁾ abnepos ⁽⁸⁾ adnepos trinepos Posteri ⁽⁹⁾	Triavunculus tritāvus atāvus abāvus ⁽²⁾ proāvus ⁽³⁾ avunculus magnus avunculus matertēra ⁽¹⁵⁾ soror respondentibus, quae minus nota videantur. Inter ascendentis affines numerantur absōcer et absōcrus, prosōcer et prosōcrus, socer ⁽¹⁷⁾ et socrus ⁽¹⁸⁾ (consōcri). Inter laterales maritus et uxori, levir ⁽¹⁹⁾ et glos, ⁽²⁰⁾ virtricus ⁽²¹⁾ et noverca ⁽²²⁾ frater et soror uterini, privignus-a ⁽²³⁾ . Inter descendentes gener ⁽²⁴⁾ et nūrus, ⁽²⁵⁾ progrēner et pronus, abnurus, trinurus.	
				omnes enim personae cognatorum — aijunt jurisconsulti — aut supra memoria transverso sive a latere.
				In superiore schemate placuit nomina exten-
				nem pertinent; quae autem affinitatem referunt non facile schemma clari- rum admittunt, ideo ma-
				lui simpliciter ea tradere adiectis ad calcem voca- bulis Hispanicae linguae

¹ Antepasados. — ² Tatarubuelo. — ³ Bisabuelo. — ⁴ Padres. — ⁵ Hijos. — ⁶ Nieto. — ⁷ Binieta. — ⁸ Tataranito. — ⁹ Descendentes. — ¹⁰ Tío-a paterno. — ¹¹ Primo paterno. — ¹² Primo segundo. — ¹³ Sofrino-a. — ¹⁴ Primo materna. — ¹⁵ Tío-a materno. — ¹⁶ Parientes. — ¹⁷ Suegro. — ¹⁸ Suegra. — ¹⁹ Cuñado. — ²⁰ Cuñada. — ²¹ Padastro. — ²² Madastro. — ²³ Hijostra-a. — ²⁴ Yerno. — ²⁵ Nuera.

CURSUS GYMNASTICUS

In Georgica. (II 458-531)

AGRICOLARUM FELICITAS

Episodium cuius interpretationem adgredior, primum abs dubio locum obtinet in Georgicis, «cujus pulcritudinem qui non sentiat, is nec dignus sit cui enarretur» (Heyne). Haec descriptio indoli poetae maxime congruit cui «molle atque facetum adnuerunt gaudentes rure Camoena» (Hor. Sat. I, 10, 44, 45). Magnum ibi cernitur vitae campestris, solitudinis et quietis desiderium quod Vergilium tenebat. Vita rustica apud antiquos summo in pretio habebatur, eamque non modicis laudibus cumulabant. Ciceronem pae omnibus audire placet: «Vita haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, justitiae

magistra est» (Pro Roscio). «Omnium rerum ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine libero dignius» (De officiis, I, 42). «Mea quidem sententia, haud scio an nulla (vita) beatior possit esse, neque solum officio... sed et delectatione et sanitate copiaque rerum omnium» (Cato Major de senect. 15, 55, 56). Post Vergilium, communis evasit apud poetas de vitae rusticae beatitudine tractatio. (Cfr. Horatius, Epop. II. «Beatus ille». Tibullus, Eleg. I, 1. Fr. Luis de León «Qué descansada vida...» La Fontaine, *Fables*, XI, 4. Gabriel y Galán, *Castellanas*, cet.

O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victimum justissima tellus.

460

Nimium: translate ponitur pro *valde*, *maxime*; «nimium lubenter» (Plaut. Aul. 361); «o nimium dilecte deo» (Claud. Cons. Hon. 96) *Ipsa*: sponte, per se: *ipsaque tellus omnia liberius nullo poscente ferebat* (Geor. I, 127, 128) *Audacissimum* civium delapsa arma ipsa ceciderunt (Cic. Off. I, 22, 77) *Discordibus armis*: ablativus absolutus. Epithetum *discordibus* poetice tribuitur armis, quibus dis-

cordia producitur. *Fundit*: spargit, emitit. Hoc sensu crebrius invenitur apud classicos (Cf. Lucr. I, 357 «crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt». Tullius, *Nat. deor.* 62, 156; Verg. *Bucol.* IV, 20). *Justissima*: quae optime respondet agricolarum votis. «Justissima vocatur tellus, ait Cicero (De Sen. 15, 51) quia nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit».

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam
Nec varios inhiant pulcra testudine postes
Intusasque auro vestes Ephyreiaque aera,
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi;

465

Si non... Lucretium imitatus, vitam rusticam confert cum urbana, quam ostendit campestri multo esse inferiorem. (Cf. De Rer. Nat. II, 24 seq.) *Mane salutantum*: Romanorum mos erat ut clientes, patronos salutaturi, ad altiora domus venirent primo mane. *Vomit undam*: metaphora, hispanice non admissa, exprimens multitudinem populi exeuntis. *Inde vomitoria in theatris, seu portae*

quae multitudo spectatum ingrediebatur et egrediebatur. Ordo grammaticus hic est: «si domus alta foribus superbis (ablat. qualitatis) non vomit totis aedibus undam ingentem salutantium mane». *Nec inhiant* (agricolae): stricto sensu est idem quod *biare*. *ore aperto stare*. Translate in admiratione ac stupore locum habet. (Geor. IV, 483). (separar)

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

De re grammatica

DE SUBSTANTIVIS ADPOSITIS

Argumentum de re simplicissima grammaticae pertractandum suscepi, in quo tamen quid forsan notatu dignum repieres. Cum enim acies ingenii remissius ad simpliciora quam ad sublimiora applicatur, plerumque fit ut facile nonnulla ex simplicioribus rebus animum effugiant. Jam vero adpositorum nominum notionem, constructionem aliaque proponamus.

NOTIO.—Nomen adpositum, seu substantivum continuatum, illud dicitur quod alteri proxime jungitur ut illud quodam modo definiat aut explicet.

REGULA. **Historia, magistra vitae.**

Substantiva adposita casu tantum concordant.

Exempla: Abula, *patria* Sanctae Teresiae; Marcus Cicero, Lentulo *procun-suli s. d.*; humana gloria, *umbra* levissima; villa laeta *custodia* pudicitiae; gallus, *nuntius* aurorare; Christus Dominus, *Magister* mundi; superbia, *morbis* letifer animorum; verecundia, maximum *ornamentum* amicitiae; sanguinis effusio, eximium caritatis *argumentum*;

nomen Jesu et Mariae *nectar* in ore, in aure *melos*; quid meruere boves, *animal* sine fraude dolisque; ad me Brutus cum Pomponio venerat, *homines* mihi cari; Pompejus nostri *amores* ipse se afflixit; *historia*, *testis* temporum, *lux* veritatis, *vita* memoriae, *magistra* vitae, *nuntia* vetustatis.

NOTANDA. 1) **Urbs Roma; Athenae civitas**

Adposita habeantur nomina civitatum, fluminum, montium, regionum, quamvis genitivi instar hispanice proponantur: *La ciudad* (de) *Roma*, (de) *Atenas*.

Exempla: *Taurus* mons; insula *Sicilia*; amnis *Rhenus* (h. e. qui dicitur Rhenus) (1); lacus *Avernus*; promontorium *Misenum*; *Cartaginem* et *Corin-* *thum*, urbes maximas et florentissimas Romani deleverunt; *Cannae* ignobilis Apuliae vicus; Fidinates, *colonia* Roma-na ad bellum incitantur.

2) **Mensis Junius - Kalendis Januariis**

Mensium nomina et dierum uti casus adpositionis latine resolvuntur: vernaculis linguis ut vera substantiva adhibentur atque praepositione aliqua nomini communi adhaerent e. g. *mes de Enero*; *día primero de Junio*; apud Romanos vero mensium nomina adjective tantum usurpabantur, ideoque modo adpositorum latine propoununtur.

(1) Flumina apud Latinos adjecitivorum instar usurpandi mos fuit communique nomine concordandi genere, numero, casu; sed modo etiam substantivo adhibebantur, et tunc vel nomen proprium genitivo mandabatur vel juxta regulam adpositorum resolvabantur; e. g.: Aut flumen *Rhenum* aut pluvius describitur arcus (Ars Poet. 18); apud flumen *Strymona* (Nep. 5, 2, 2); apud flumen *Nilum* (Id. 18, 5, 1); *Erydani amnis* (Aen. 6, 659); flumen *As-turæ* (Llv. 8 13 5; 43 4 6).

Exempla: Pridie Idus Augustas; mense Decembri: Nonas sextiles Dyrhachio sum prefectus; pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se pridie Non. Martias Brundisia prefectum reliquisse dicebat.

3) Antonius Petrum habuit magistrum

Substantiva quae dignitatem, munus, aetatem significant, quaeque praepositionibus variis Hispani conjungimus, recte in Latinum transferimus si casus adpositionis facimus; e. g : Antonius Petrum habuit *magistrum* (Antonio tuvo a Pedro *por* maestro); eique nomen *Johannem* imposuerunt (le pusieron el nombre de Juan); Pitia preecepit ut Miltiadem *imperatorem* sibi sumerent.

4) Defendi Rempublicam adulescens

Ad priorem regulam reducuntur quaecunque participio *siendo* hispanice exprimimus: defendi Rem publicam *adulescens*, non deseram *senex*; audivi hoc de parente meo *puer*; ego, Q. Maximum *senem*, *adulescens*, ita dilexi ut aequalem; Cicero *praetor* legem *Mamiliani* suasit.

5) Philosophia magistra veritatis

Subst. adposita, recte loquendo, casu tantum concordant: plerumque vero fit ut etiam genere concordent in vocabulis dictis *mobilibus*, iis vid. quae utrumque habent genus, e. g.:

Deus, dea; dominus, domina; filius, filia; magister, magistra; minister, ministra; poëta, poetria; genitor, genetrix; nuntius, nuntia; rex, regina; avus, avia; nepos, neptis; hospes, hospita; vixor, victrix; adjutor, adjutrix; effector, effec-

trix; expulsor, expultrix, cet; quod non fit in substantivis *communibus*, utl. dux, artifex, heres, comes, testis, vindex, parent, adulescens, juvenis, sacerdos, custas, infans, civis, vates, interpres, cet.

6) Burgi urbs nobilissima

Adposita casu tantum codcordant: unde substantiva quae pluri-
rali numero quid singulare significant, adpositum non plurale sed
singulare habent, e. g.: Burgi, *urbs* nobilissima; Athenae, *caput*
Graeciae; litterae tuae, *guadium* nostrum.

NOTULA.—Apud Classicos Latinos invenies, exempla adpositionis genitivo casu proposita; dicitur genitivus *epexegetico* (a v. ἐπι - ἐξ - γένεμαι i. e. gen. explicativus seu adpositionis) Juvat hic exempla a cl. Menge (1) tradita transcri-

bere: a) auri metallum, flos rosae, arbor fici, lapathi herba; b) rarius autem: Urbs Patavi (Aen. I, 247, 565); promontorium Misseni (Tac. Ann. 6, 50); cf. etiam Aen. I, 244; Liv. 24, 12, 4 et 20, 14; Id. 8, 13, 5; 43, 4, 6.

JOSEPHUS M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) Menge, *Report. der Lat. Syntax* n. 69.

PER ORBEM

De antiquissimis papyris nuper inventis.—In universitate Vindobonensi recentissime publicam habuit conlationem Dr. Gerstinger, in qua retulit reliquias antiquarum papyrorum adparuisse in Aegypto easque magno pretio habendas. Papyri Scripturas ac simul auctores classicos incumbentium admirationem movent, cum ad utrasque disciplinas pertineant inventa fragmenta: ad Biblia vid. Sacra et ad opera quae perierant classicorum Graecorum. Quod ad monumenta Scripturarum adtinet saeculum usque secundum perveniunt, ideoque omnibus modo cognitis monumentis bibliis antecedunt. Libros duodecim tum Novi tum Veteris Testamenti illustrant textumque Vulgatae editionis confirmant.

De manu scriptis auctorum classicorum inventis haec tria tantum notemus:
 a) Poema Ἡλαχάτη a Lesbia poetria Erinna compositum, de quo si nomen excipias nihil remanebat. Erinne floruit a. 353 ante Chr. teste Hieronimo in Chron. od Olymp. CVI, 4 obiitque XIX annorum aetate. Composuit, Sapphon imitata, carmina lyrice, epigrammata et in primis poemation («*exigui, sed egregii carminis auctor*» ait Dübner) Ἡλαχάτη latine «*Fusum*» inscriptum versibus exametris Homero dignis: στίχοι τοι οὐμέρω. In eo sortem amicae florente aetate eruptae flet amare.

b) Quaedam fragmenta Theocriti poetae quae modo erant incognita.
 c) Frustra Graeca Callimachi poematis cui titulus Ηλόχαρος Βερενίχης. Ante inventionem harum papyrorum nihil de eo existabat quam elegans Catulli carmen 66 in Caesariem Berenicis, quod a Calli-

machi poemate depromperat: «*Omnia qui magni dispexit lumina mundi*»...

Papyrorum pars maxima in Angliam deducta est, pars vero minor in bibliotecis Vindobonensibus reposita.

Certamina poetica a. MCMXXXIV.—Vulnatus est exitus postremi certaminis poetici Ruspantini, a Romano litterarum Atheneo judicati, in quo triginta auctores descenderant. Praemium adsignatum est carmini «*Rus pascolianum*» indicto, notato verbis: «*Croceas nocte coronas*», Vincentio Polydori, Dre. Aretino.

—In certamine poetico Hoeufftiano de 44 carminibus propositis ita est judicatum: Praemium aureum reportabit nemo ut mos est annorum praeteritorum: sumptibus tamen legati in volumen recipietur carmen c. t. *Prometheus*.

—Locrense ephebeum quod a Pedemontium principe moderatur alterum indixit certamen poeticum, in quo gloriae et gesta Sabaudiae domus extollerentur. Certamen omnibus patuit.

Scholae litterarum Latinarum.—In Pontificia Universitate Gregoriana scholam litterarum latinarum Smi. P. Pii XI motu proprio constituta scholastici frequentant. Schola, sub regimine Patris Petri Francischini, S. J., hac ratione ordinatur: duabus constat curriculis quorum in primo interpretatur hoc anno M. T. Ciceronis Academicorum I. II (*Lucullus*); in altero vero M. T. Ciceronis ad M. Brutum Orator. In unoquoque curriculo bis in mense scriptio Latina auditoribus imponitur conficienda, quam ad emendationem adferre debent. Lectiones habentur diebus Mercurii et Jovis hora

nona pro scholasticis primi cursus, pro alterius cursus scholasticis diebus Martis et Jovis hora decima. Auditoribus, qui post completum bienium se, periculo facto, deleatis judicibus probaverint, testimonium seu diploma quicumque impretraverint, iidem in certaminibus ad quaevis officia apud Sacras Congregationes, Curias dioecesanas et Seminariorum ludos consequenda propositis, ceteris paribus, praferantur (A. A. S. 1924, p. 417).

—Apud nos etiam CEU Institutum moderantes Matriti aperuerunt specialem linguae Latinae scholam, cujus fores iis omnibus pateant qui, studiis secundae institutionis rite peractis, ampliorem cupiunt linguae Latinae cognitionem. Dnus. Andreas de Lucas munere magistri fun-

gitur. Discipuli diebus alternis in aulam se conferunt lectiones audiendi caussa. Nec perexiguum temporis spatium nec epheborum conditio (scimus quanti lingua Latina in nostris gymnasiis habeatur!) aliud patiuntur quam, invito magistro, simplicem grammatices recognitionem auctorumque Latinorum quantum fas est interpretationem atque imitacionem. Quid tamen miserum hujus aulae constitutio cuiquam forsitan videatur, maxime ei qui meminerit quam plurimas de lingua latina disciplinas perdurante curriculo alibi simul tradantur, (1) is vero fateatur coepisse maximum esse, Horatiumque in mentem revocet dicentem: *Dimidium facti, qui, coepit, habet* (Ep. I, 2, 40).

JOSEPHUS M.^a JIMENEZ, C. M. F.

Bibliographia

Léon Debeauvais—*Cours de langue latine* 1.^e) *Petite Grammaire* (classe de sexe; 2.^e) *Grammaire complète* 3.^e) *Exercices* (classe de cinquième). Librairie classique E. Belin, R. Férou, 8. Paris. 1934.

Ex illo meritissimo cursu linguae Latinae quem suscepit parandum atque persequitur felicissime Dnus. Debeauvais ad manus nostras pervenerunt nuper libelli tres quorum insuper tituli jacent. *Petite grammaire* (classe sexe) respondet opusculo *Exercices* (classe de sixième) in numero 31 p. 63 jam recensito. *Grammaire complète et Exercices* (classe de cinquième) se ipsi complementur regulis atque exerciciis ad pueros pede certo ducendos in itinere Latinitatis, quibusdam satis impedito. Nescio an altius nostra memoria surrexerit paedagogus in litteris Latinis explicandis Leoni De-

beauvais comparandus. In toto opere parcus regulis, hisque utilissimis per exempla copiosa, per imagines oculis vivide eloquentes, per monita frequentissima in rebus facile confundendis vel ex memoria delendis pueros alacriter docet et praeceptoribus omnia suppeditat elementa quibus nullo fere labore munus scholare perficiant. Vere illa methodus acceptissima deveniet omnibus qui de profectu discipulorum in Latino sermone satagant. E. JOVÉ, C. M. F.

Léon Vaganay—*Initiation à la critique textuelle néotextamentaire* Libr. Bloud et Gay Paris.

Hic libellus cl. Vaganay iis omnibus qui in studio N. T. primos gressus facere incipiunt, maxime utilis est ne dicam necessarius. Auctor optimo consilio et non exigua dexteritate omnia alicuius

(1) Cfr. *Revue des Études Latines* 1933, p. 291-298: Tableau des enseignements relatifs à l'antiquité latine dans les établissements d'enseignement supérieur de Paris pendant l'année scolaire 1933-1934

momenti ad criticam textualem N. T. spectantia quinque haud longis capitibus sic perstringit, ut qui opusculo utentur solidum fundamentum habebunt ad perfectiores cognitiones in difficili scientia critica sibi comparandas. Post brevem introductionem, de objecto et divisione criticae textualis N. T., agit: 1) de ejus fontibus, 2) de ejus methodo, 3) de historia textus manuscripti, 4) de historia textus typis editi et de futuris editionibus parandis et cedendis, 5) exempla practica demum proponit.

Lousseau et Collomb. «*Manuel d'études bibliques*» Téqui, éditeur, Paris (VI), Rue Bonaparte, 82.

Optime sane est auspicatum recens hoc S. Scripturae *Manuale* eo vel maxime quod Summo Pontifici placuerit illud suo nomine nuncupari.

Sed et multum quoque illud ipsum commendat forma, copiosa qua principiores quaestiones elucidantur, quae tamen limites manualibus praefixos non transgreduntur. Quapropter opus utilissimum censemus iis potissimum qui habita ratione temporum ac difficultatis ampliora opera frequentandi, accuratam ac vere scientificam Sacrarum Scripturarum cognitionem acquirere student.

Et re quidem vera, si paucis velim praecipua saltem ejus merita complecti, dixerim: 1.^o principia Litt. Apost: «Quoniam in re biblica» sancte et fideliter illud sectatur; 2.^o mirabili plane modo introductionem et exegesim ita consciata ut impraesentiarum nullum sit fere opus manuale praestantius; 3.^o illud legentium ingenii aciem exacuit attentionemque movet, at facili negotio, quia singulari venustate perfunditur; 4.^o sedulo errores, praesertim modernos, recto judicio perseguitur atque prorsus expludit; 5.^o doctrinam traditionalem dilucide exponit ac suo ingenio quid in quaestionibus agitatis verum sit vult exquirere.

Quinque voluminibus hoc vere aureum opus absolvetur, quorum II, IV, et V cum altera parte III, jam editi sunt.

T. II, Les livres historiques de l'A. T. T. III. (2^a partie); Les livres prophetiques de l'A. T.—T. IV: Les S. Evangiles.—T. V. Les actes des Apotres, Les Epîtres et l'Apocalypse.

Illud optandum nobis est ut quantocius nostris lectoribus commendare liceat volumina adhuc inedita de introductione generali (T. I.) ac de libris didacticis V. T. (T. III, 1.^a partie), quibus manuale complebitur, ac praesertim ut cl. A. A. in obsequium veritatis catholicae cui hoc opere tantum praestant, in linguam Latinam, vere catholicam, cito suum opus reddant ut omnibus orbis clericis prodesse possit.

MICHAEL CODINA, C. M. F.

M. de Lama O. S. B. *S. Augustini doctrina de Gratia et Praedestinatione ex opere imperfecto contra Julianum excerpta.* Casa Ed. Marietti. Torino, 1934.

«S. Augustini doctrina de Gratia et Praedestinatione» hujus libelli a P. Mariano de Lama O. S. B. concinnati objectum constituit principale ad quod certa facile referuntur. Exquiritur insuper de natura peccati (originalis praesertim), de essentiâ voluntatis creaturæ, de origine mali moralis atque de uberrimis deinde fructibus redempcionis Christi.

Occasionem hujus opusculi praebuit tractatus dogmaticus «de Gratia» a P. Lange confectus quo in opere aliqua non recte dicuntur quae ad conceptum Augustinianum de gratia atque de libero arbitrio respiciunt.

«Opus imperfectum contra Julianum» cum adnotationibus nonnullis in medio proponit, quatenus ultimis diebus S. Doctoris conscriptum, compendium exhibet totius doctrinae de gratia ac praedestinatione ab ipso spatio octodecim annorum contra Pelagianos stabilitæ. Hic libellus veluti introductio in doctrinam de gratia Augustinianam considerari oportet. Clm. auctorem necnon editorem laudamus ob diffusionem doctrinarum tanti Patris qui «Doctoris Gratiae» titulo ab Ecclesia decoratur. —J. PASTOR, C. M. F.

Exercitationes Scholares

De moribus antiquorum Romanorum. — Domi militiaeque boni mores egebantur. Maxima erat concordia, minima avaritia. Discordias et rixas in hostes exercebant; cives ad invicem (de) virtute certabant. Tum nemo desperabat rem publicam; nec cives mortem horabant, sed strenue pugnabant.

Nisi tempus me desiceret, ego narrarem vobis praeclara exempla virtutis eorum; quoniam non me fallit populum Romanum a nulla alia gente unquam superatum fuisse. Omnibus admirationi est tanta animi excelsitudo; omnes celebrant Romani nominis gloriam.

LEGHISSA ANTONIUS, C. M. P.
Tusculi (Rome): decimo octavo Kalendas Januarias.

Simius Ambitiosus. — I. Quidam simius mortuus erat. Cum in conspectu fuit Yen-Wangl, inferorum regis, supplex ab eo postulavit ut sibi iterum hominem nasci permitteret. Dixit ei Yen-Wangus: Homines pilos non habent in corpore. Si ergo vis homo devenire, opus est in primis ut pili qui tuum corpus operiunt evellantur omnes. Convenit — ait simius. — Tunc Yen-Wangus aliquos diabulos vocavit ut pilos ejus eruerent; vix vero unum vellerant cum simius jam dolorem non ferendum reperiebat. Tunc Yen-Wangus ei ridens: Si non potest sinere — ait — unum tibi pilum erui, qua ratione hominem simulare possis?

Morale. Homo tanto magis homo est quanto libentius rejicit pecuniam. Est hominum, qui se revereri non affectant, credere solas sapecas esse utiles, non sustinentium vel unam consumere.

PETRUS LATASA, C. M. P.

Cervariae.

II. Simius quidam ex vita decepsit. Stans coram infernum rege Yen-Wango, supplex ab eo petivit ut hominem renasci sibi permitteret. Yen-Wangus ei:

Hominibus, ait, non sunt pili in corpore. Si ergo vis homo devenire, in primis oportet ut pili qui corpus tuum operiunt, omnes evellantur. Convenit, respondit simius. Yen-Wangus tunc aliquos vocavit diabulos ut ei pilos devellerent. At vix unum ei vulserant, jam simius dolorem intolerandum inveniebat. Yen-Wangus ei ridens: Si non potes, dixit, permettere ut unum tibi pilum evellant, quomodo tu possis hominem simulare?

Morale. Homo eo magis homo est quo libentius pecuniam relinquit, simili pilis significatam. Hominum est qui non affectant se observari, censere dumtaxat sapecas rem utilem esse, non sustinentes vel unam impendere.

JOSEPHUS BONET, C. M. P.

El mirlo y la golondrina. — I. En cierta ocasión así acusó el mirlo a la golondrina: Cada año pongo en un árbol alto mi nido tejido con pajas, con hierbas y crines de caballo bastante cómoda y decorosamente. Con mis cantares soy agradable al viajero, a los habitantes de la ciudad y de las granjas. Mas tú haces el tuyu con barro en lugares oscuros y, volando desenfrenadamente, cantas sin armonía y lo llenas todo de estrépito. Entonces responde la otra: ¡Oh, cuán insensata eres! Al apuntar la primavera todos esperan mi vuelta, traigo la alegría, acostumbro a volver al nido antiguo y me gusta contemplar a los huéspedes conocidos. No hago daño a los frutos, lo que para tí es una costumbre; más, soy útil a la mies devorando los animalitos malos. El consejo de Dios quiso que toda clase de volátiles fuesen siempre gratos y utilísimos.

VICENTIUS PARIS, C. M. P.

Cervaria



Compositiones vertendae

La nodriza y su pequeñuelo

Érase un viejo bachiler. (1) En su familia había un chiquillo (2) alimentado por una nodriza. Un día ese chiquillo no hacía más que agitarse (3); por más que le entretuviesen (4) no (se) dormía.

La nodriza, habiendo agotado todos los medios (5), dijo al viejo bachiler: Déjanos (6) un libro! El bachiler dijo riéndose: No conoces ni la letra *i* y pides un libro? Respondió la nodriza: Oh, es pa-

ra el niño; está insopportable (7); no se duerme. Yo he observado que cuando V. toma un libro se duerme enseguida (8); si yo doy uno al chiquito ¿no experimentará él el mismo efecto?

Notulae

- (1) *Bachalaureatus*. (2) *Pusio, puerulus*. (3) *Nibil aliud quam se agitabat*. (4) Póngase en pasiva; *mulcerē*. (5) *Ratio*. (6) *Praestare*. (7) *Haud ferendus*. (8) Continuo.

Telephonon ⁽¹⁾ et serpens

In fortunata maris Atlantei insula (2)
Nonnullis (3) quandoque e multis animantibus
Esse humanarum rerum quosdam usus ferunt.
Nam telephonon tractant non simus modo,
Psittacus atque canis, ex hominum frequentia (4)
Domibusque exculti, verum etiam milvus, aquila,
Palumbes et capella, nec deest aper.
Et ipse serpens (5), ad quandam rem beneficam,
Auxilium telephoni audet deposcere:
At illud, ira fervens: Apage! nefario (6)
Ait; dispereas! abeas in malam crucem! (7).
Furcifer (8) es semper: ex ore tuo nil nisi
Dolosum, vafrum, callidum egredi potest.
Malignum vita, quamvis suadentem bona.

ROCCI, S. J.

Notulae

- (1) *A vocibus τῆλε (longe) et φωνῇ (vox); latine adbibe telephonum*. (2) *Hodie «Islas Canarias», de quibus olim plura commenti sunt poëtae*. (3) *Dativum possessionis pendens a v. esse*. (4) *Trato*,

convivencia. (5) *Y aun la misma...* (6) *Insolente*. (7) *Vete en mala hora*. (8) *Pillo, truhán*.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator**

Hypographia F. Camps Calmet. – Tarregas